



**I**ohannes ab Erlach ex nobili familia apud Bernenses Heluetios natus est anno circiter 1470. Is cum bona indole esset conspicuus, à pueris operam literis dedit, ac in omni genere uirtutum optime educatus fuit. cum uero prudētia & pietate reliquos æquales longè superaret, atque belli & pacis tempore fortissimus esset, in Senatum cooptatus est. Ibi tanta integritate uitæ & rebus expedientibus dexteritate usus est, ut communi ciuium sententia Bernensis reipublicæ Consul eligeretur, qui in ea urbe summus est magistratus, & alijs Prætor uel Scultetus dicitur. Eam uitæ eminentiam Iohannes magna animi moderatione suscepit, atque potentissimæ eius reipublicæ negotia summa dexteritate expediuit. In primis uero religionis causam & Euangeliū doctrinam promouit, atque ut omnia pacificè peragerentur prouidit. Vnde sibi apud reliquos quoque Heluetios magnum nomen comparauit. Cum hoc modo pergeret, & ad septuagesimum annum peruenisset, ætate & laboribus exhaustus anno Domini circa 1540 Bernę obiit, & honestam nominis memoriam suæ familie & patriæ reliquit. Anon.